


magis, cum serpentum in morem, corpora permisceant & complectantur. Rondoletius plura observavit libr. 14. cap. 6. ut quandoque colligam, marcin Viperæ cum compare solum coitu uti, nec alio complexu oblectari, ut diligenter hucusque observatum fuit, dum variis generibus mixti serpentes in cretaceis doliis retinentur inclusi.



QUOD NON SIT VERUM

Viperam Semel tantum parere, sed pluries, & inde effœtam reddi.

CAP. X.



NTIGONUS numero 25. nunquam bis parere asseruit; foetus enim uterum peredit; de mirabilibus

libus narrationibus; cum ostensum sit antea, verum non esse, à Viperulis uterum perforari, sed membranam, qua utero in voluti nascuntur, ut aliàs dixi, in mulieribus secundam vocant, quandoque in non naturali partu perforant, id quòd Plinius perperam reddidit viscera perforare, quod ex Viperarum quæ pepereunt dissectione, omnino falsum deprehenditur. Pari quoque ratione cum Viperæ ingentem ovorum copiam contineant, seminibus portulacæ, aut papaveris similimis, in duplici illa vulva, ut vix sex vel septem partibus absolvi nequirent, & sectione ex veteribus jam repertæ sint, quæ ova omnia excluderunt; signum id est, esse jam effœtas, & exuccas; propterea ab re non erit, cum à cibis, tum à trochiscorum compositione repellere, ut Auctor ad Pisonem putat. Sed sibi parùm constare visus est, quoniam cum aliis senserat à viperinis catulis enecari. Si id esset, effœtæ numquam

evaderent, utrunque enim simul verum esse nequiret. Multa sunt monstra, quæ in eolibro continentur, quæ in aliis Galeni libris (si ejusdem esset auctoris) non leguntur. Viperam per os semen recipere, caput maris obtruncare, hoc ipsa natura fieri non potest, Non enim dentes habet incisivos, & venenum non afficit venenatas serpentes, Sed quis crederet in coitu ob dulcedinem caput amputare maris? aut viperulis uterum perforari, & interimi? & similia, quæ à Galeno in propriis libris non admittuntur; quoniam hujusmodi fabellas mirum in modum ipse idem in Chrysippo damnaverit, & in his ut plurimum Aristotelem sequi consueverat, qui fuit diligentissimus. Relictis igitur nugis asseramus vipers coire, & concipere, ut dictum est, deinde plerumque naturali partu viperulos excludere membranis tectos & reconditos, sed quandoque præter naturæ ordinem exire sine involu-

58 DE VIPERÆ NATURA

eris, statim cum ipsis projiciendis, sed si quandoque multitudinem ferre non possit uteri angustia, dirumpi sponte uterum, ut Theophrastus hanc unam maternæ mortis causam comminiscitur, quod acubus piscibus quoque evenire observavit, id quod rarò contingeret in viperis. Naturale igitur est, ut supervivant, ut rursus prægnantes reddantur, & postremo tot partibus effœtæ & in omnibus inutiles fiant.